

CAPUT II.

Quando obliget Praeceptum Fidei.

5. Quos et quando obliget praecceptum fidei. — 6. Notandae propositiones damnatae in hac materia. — 7. Quoties teneamur in vita elicere actus fidei et spei. — 8. Quoties circa caritatem. — 9. Quando haereticus teneatur suam sectam ejicere. — 10. An circa fidem liceat sequi opinionem minus probabilem. — 11. Quando teneamur fidem exterius confiteri. — Et qui teneantur jure ecclesiastico ad externam professionem fidei.

Praeceptum fidei internum, quando obliget.

5. - « Resp. I^o. Praeceptum fidei internum obligat 1^o. Pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfecte consecuti, mysteria fidei audiunt, apprehenduntque, quod illa credere sit res necessaria ad salutem; peccantque mortaliter omittendo. Sanchez, Bonacina ¹, addens plurimos eorum excusari inadvvertentia aut invincibili ignorantia. — 2^o. Adultos infideles, quando ratio incipit dictare, res fidei sufficienter propositas esse, et contrariam sectam esse falsam. Sanchez ², Coninck, Filliucius ^{a)}. — 3^o. Quando urget tentatio contra fidem, quae aliter vinci nequit. Quod tamen non convenire scrupulosis, recte monet Sanchez: quia hi, avertendo mentem ad alia objecta, facilius superant. Et in his duobus casibus praecceptum obligat per se, in sequentibus per accidens. — 4^o. Quando tentatio urgens contra alias virtutes aliter superari nequit. — 5^o. Quando facienda est professio fidei exterior, vel ex praeccepto eliciendus est actus alterius virtutis, v. gr. spei, caritatis, poenitentiae, quae fidem supponat. Bonacina ³. — His addit Hurtadus contra Sanchez, 6^o in hora mortis; et 7^o semel quotannis. Vide Diana ⁴ ».

Sanch., Decal., lib. 2, cap. 1, num. 3. — ¹ Disp. 3, de 1^o Praecept. Decal., qu. 2, punct. 2, num. 8. — ² Loc. cit., num. 6. — Coninck, de Fide, disp. 14, dub. 10, n. 205 et 206. — Sanch., loc. cit., n. 3, v. Secundum. — ³ Loc.

6. - Certum est, hominem teneri ex lege naturali ad Deum per fidem, spem et caritatem se convertere; et ideo elicere earum virtutum actus, cum quaeque virtus suis actibus vivat. — Hinc ante omnia notandae sunt omnes propositiones proscriptae super hac materia; videlicet:

Prop. 1^a ab Alexandro VII: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis, ex vi praecceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Prop. 16^a ab Innocentio XI: *Fides non censetur cadere sub praecceptum speciale, et secundum se.*

Prop. 17^a ab eodem: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

Prop. 6^a ab eodem: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare praecceptum caritatis erga Deum.*

7. - Quaeritur autem: *quoties in vita teneamur elicere actus theologales?*

Quod ad praecceptum fidei spectat, plures sunt opiniones. — Scotus ^{a)} censet, teneri nos ad eliciendos actus fidei omnibus diebus festis. Nider ^{b)}, quoties mysteria in ecclesia celebrantur. Sed Salmant. ⁵

Opiniones de frequentia actuum fidei.

cit., num. 9 et 10. — Petr. Hurtad., de Fide, disp. 93, § 5. — Sanch., loc. cit., num. 3, v. Tertium et Quartum. — ⁴ Part. 5, tract. 13, resol. 19. — ⁵ Tract. 21, capit. 2, num. 31.

5. - ^{a)} Filliucius, *tr. 22, cap. 2, n. 25*, ut allegatur a Busenb., de hac re non tractat; et *n. 52*, de fidelibus, non vero de infidelibus loquitur.

7. - ^{a)} Scotus, qui citari videtur ex Salmant., loquitur de caritatis praeccepto, *in 3, dist. 27, n. 18*, v. *Quantum ad secundum.*

^{b)} Nider, citatus etiam, ut videtur, ex iisdem Salmant., loquitur non de tempore praeccepti implendi, sed de ipso fidei objecto, quod scilicet sit explicite credendum: « Exigitur, inquit in suo *Praecceptor., praeccept. 1, cap. 2*, litt. B, quod quis in specie cognoscat illos articulos [Symboli], et explicite, seu ista de

et Croix ^{c)} horum opiniones minime approbant; imo Oviedo apud Croix ¹ asserit, illas passim rejici ab aliis.

Lugo apud Croix ² recte dicit, toties fideles teneri ad repetendos actus fidei, quoties sufficiat ad profitenda mysteria nostrae religionis. At quia haec regula est obscura, sat probabiliter putant Salmant. ³ cum Sanchez ^{d)}, Trullench ^{d)}, Bañez ^{e)}, Ledesma et aliis, teneri saltem semel in anno fideles ad exercendum actum fidei; et idem sentiunt Concina et Franzoja cum communi. — Advertunt tamen cum Suarez, Prado; et idem dicit Croix ⁴, quod huic praecepto fit satis etiam per exercitium aliarum virtutum, sive per susceptionem sacramentorum, sive ex quacumque alia occasione actus fidei ponantur.

Num autem teneamur ad eliciendos hoc actus fidei formaliter, scilicet ex motivo Dei revelantis? Affirmat Viva ⁵. Quicquid sit, ut addit, an semper ac fides est supernaturalis, nitatur huic motivo saltem languide attacto. Notat vero ⁶, quod viri timorati nullo modo circa hoc anxii sint, cum vix accidat, eos abunde huic praecepto non satisfacere. — Croix etiam ⁷ dicit non esse rationem, cur quis ob id scrupulose se divexet, cum huic praecepto fiat satis (ut asserit ⁸) audiendo Missam, adorando crucifixum, formando crucem, orando, etc., quamvis haec non fiant reflexe ex motivo fidei. Qui enim,

ait, saepius posuit fidem tamquam regulam suarum actionum, quibus ad Deum vult tendere; quicquid postea boni agit, ex eadem regula jam ad Deum dirigit exercite, licet non advertat. Aitque Hurtadus apud Cardenas ⁹, hos actus esse vere actus fidei, quia radicaliter ex motivo fidei oriuntur. Insuper de Lugo ¹⁰ sic docet: *Cum materia... honeste et inhoneste operandi adeo frequenter occurrat, non est dubitandum de exercitio plus quam sufficienti [in homine, qui fidem christianam semel toto corde amplexus est], actuum fidei ad satisfaciendum ejus praecepto.*

8. - Quod autem pertinet ad actus erga praeceptum caritatis, jam adnotavimus supra, damnatam fuisse propositionem: *Ne singulis quidem rigore quinquentiis, hoc praeceptum obligare per se.* — Palau apud Croix ¹¹ dicit esse peccatum grave differre actum caritatis per triennium. Alii, ut Hurtadus, Illsung, Mendo, etc. apud Croix ¹², dicunt requiri elici actum caritatis erga Deum saltem semel in anno: et hanc sequuntur Salmant. ¹³ cum Trullench ^{a)}, Tapia, Lastra. Alii vero, ut Gabriel, Almainus, Tabiena apud Croix ¹⁴, ajunt hoc praeceptum obligare quolibet die festivo.

Cardenas tandem ¹⁵ (cui adhaeret Croix ¹⁶) censet, non excusari a mortali qui per mensem actum caritatis differt; hancque sententiam omnino ego suaden-

Quomodo eliciendus sit.

Opiniones de frequentia actus caritatis.

Caritas erga proximum item semel in mense.

Opinio suadenda: semel in mense.

Oviedo, de Fide, contrav. 7, n. 70. — ¹ Lib. 2, n. 51. - Lugo, de Fide, disp. 13, n. 23. — ² Loc. cit. — ³ Loc. cit., n. 31. - Petr. Ledesma, in 2^a 2^a, tr. 1, de Fide, cap. 9, concl. 4. - Concina, Decal., diss. 1, cap. 11, n. 18. - Franzoja, lib. 2, tr. 1, cap. 2, animadv. 1, v. Itaque. - Suar., de Fide, disp. 13, sect. 5, n. 6. - Prado, Theol. mor., cap. 7, qu. 5, n. 20. — ⁴ Lib. 2, n. 51. — ⁵ In propos. 1 Alex. VII, n. 11. — ⁶ Loc. cit., n. 7. — ⁷ Lib. 2, n. 51. — ⁸ Lib. 2, n. 27. - Petr. Hurtad., de Fide, disp. 8, sect. 4, concl. 2 et 3. — ⁹ In propos. 17 damn., diss. 11, n. 78. — ¹⁰ De Fide, disp. 13,

n. 45. - Pal., tr. 6, disp. 1, punct. 4, n. 10. — ¹¹ Lib. 2, n. 141. - Petr. Hurtad., de Carit., disp. 174, sect. 5, § 26. - Illsung, tr. 3, n. 80. - Mendo, Statera opinion., diss. 1, n. 143. — ¹² Lib. 2, n. 141. — ¹³ Tr. 21, cap. 6, n. 12. - Tapia, tom. 2, lib. 3, de Carit., qu. 2, art. 2, n. 3. - Lastra, in propos. 6 Innoc. XI, n. 101. - Gabr. Biel, in 3, dist. 37, qu. unic., art. 3, dub. 2. - Almain., in 3, dist. 37, qu. unic., vers. med. - Tabiena, v. Caritas, n. 22, qu. 20, concl. 6. — ¹⁴ Lib. 2, n. 133. — ¹⁵ In propos. 5, diss. 6, n. 18. — ¹⁶ Lib. 2, n. 141.

quibus festivatur in Ecclesia, in festis principalibus anni. Quod fusius litt. C, ex alio auctore explicat.

^{c)} Croix has opiniones non approbat in quantum ipse, lib. 2, n. 51, contrarium probabilius existimat.

^{d)} Sanchez, Decal., lib. 2, cap. 1, n. 3, v. Quartum; et Trullench, Decal., lib. 1, cap. 1, dub. 6, n. 8, oppositum tenent, negantes adesse praeceptum eliciendi semel saltem in anno actum fidei.

^{e)} Bañez a Salmant. allegatur ut S. Alphonsus asserit; sed revera loquitur de spei praecepto: « Qui aliquoties, inquit in 2^a 2^a, qu. 22, art. 1, dub. 2, ult. concl., in anno exercet actum spei, tutus esse potest de adimplerone hujus praecepti, dummodo non desperet aliquando ».

8. - ^{a)} Trullench citatur quidem a Salmant. ut asserit S. Alphonsus; verum auctor ille, post relatas aliorum sententias, subdit eas parum cohaerentes sibi videri, lib. 1, cap. 5,

dam puto: cum difficulter possit homo diu mandata divina servare, nisi dilectionem erga Deum frequenter foveat, quae non nisi per actus caritatis fovetur et nutritur. Notat autem idem Cardenas ¹, quod sufficit elicere actus amoris, etiamsi eliciantur in ordine ad implenda alia praecepta vel ad aliam virtutem exercendam, puta ad se confitendum, ad vincendam tentationem. Insuper dicit Croix ² esse veros actus amoris, quibus bene satisfit huic praecepto, omnia opera meritoria, exercita ad finem placendi Deo, ut eleemosynam, jejunium et similia: talis autem rectus finis, dicit quod praesumitur in eis qui jam sciunt sic placere Deo, modo non operentur ex fine pravo ^{b)}. Addit etiam Croix, satisfieri adhuc orando, signanter cum Oratione dominicali, ubi dicitur: *Sanctificetur, etc. Adveniat, etc. Fiat voluntas tua, etc.*

Advertatur hic propositio 10 damnata ab Innocentio XI, quae dicebat: *Non tenemur proximum diligere actu interno formali.* — Recte igitur dicit Pater Viva ³, quod, sicut tenemur elicere actus formales caritatis erga Deum, sic etiam tenemur erga proximum, ex motivo supernaturali, nimirum propter amorem Dei, vel ut praeceptum Christi pareamus, qui dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* (Joan. XIII, 34). Unde S. Tho-

¹ Loc. cit., n. 14 et 15. — ² Lib. 2, n. 143. - Croix, lib. 2, n. 143. — ³ In propos. 10 Innoc. XI, n. 8 et 9. — ⁴ In epist. ad

dub. 3, n. 5: « Unde ille qui semel in anno, aut saltem quinto quoque anno, non eliceret actum caritatis, peccaret ».

^{b)} S. Alphonsus, in *Hom. ap., tr. 4, n. 13*, mentem suam de caritatis praecepto his verbis explicat: « Circa actum caritatis, magis mihi arridet sententia eorum, qui eum requirunt semel in mense, dum difficulter observare poterit legem divinam, qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet. Attamen opus non est, ut hi actus reflexe et explicite fiant cum intentione praecepti satisfaciendi; sed satis est, si exercite fiant, nempe ut actu fiant, licet ex alio fine, nempe ad abjiciendam tentationem, ad eliciendam contritionem, si confiteri velit ».

^{c)} S. Thomas (non allegatur a Suar.), 2^a 2^a, qu. 25, art. 8, scribit: « Potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum. Et istud non est de necessitate caritatis absolute... Est tamen de ne-

mas docet: *In dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa... in effectu* ⁴. Sicut ergo tenemur saltem semel in mense elicere actum amoris erga Deum; sic etiam saltem in mense exercere actus caritatis erga proximum. — Caeterum sapienter scribit Pater Suarez ⁵ cum aliis, ex S. Thoma ^{c)}, quod aliquando hi actus caritatis bene exercentur occasione vitandi odium aut largiendi eleemosynam. Et cum hujusmodi occasiones frequenter occurrant, hinc ait Pater Viva, esse moraliter impossibile, quod fideles christiane viventes, huic praecepto abunde non satisfaciant.

« Ex iis resolvuntur hi casus:

9. - « 1^o. Haereticus, quamdiu suam « sectam judicat esse credibilem vel « aequae credibilem, non tenetur credere; « quia fides nondum est sufficienter « posita, ageretque imprudenter. — San- « chez ^{a)}, Laymann ⁶.

« 2^o. Quando iis qui in haeresi nutriti « sunt persuasum est a pueritia nos abji- « cere et persequi verbum Dei, esse ido- « lolatras, pestilentes deceptores, ideoque « tamquam pestem fugiendos; non pos- « sunt stante hac persuasionem, salva con- « scientia nos audire, et laborant ignoran- « tia invincibili, cum non dubitent se esse « in bona via. — Laymann ^{b)}, Sanchez ^{c)}.

Rom., cap. XIII, lect. 2. — ⁵ De Carit., disp. 5, sect. 4, n. 4. - Viva, loc. cit., n. 9. — ⁶ Lib. 2, tr. 1, cap. 10, n. 3, v. Secundo.

necessitate caritatis secundum praeparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret ».

9. - ^{a)} Quin etiam Sanchez, in *Decal., lib. 2, cap. 1, n. 6 et 8*, negat infidelem vel haereticum teneri extra mortis articulum ad amplectendam veram fidem, quam sua secta probabiliorum judicat. Quae quidem sententia damnata est ab Innocentio XI in 4^a propositione, quae sic sonat: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinionem minus probabili ».

^{b)} Laymann, lib. 2, tr. 1, cap. 12, n. 3, de ejusmodi haereticis loquens, dicit: « Fieri potest et interdum solet, ut tales invincibili catholicae veritatis ignorantia laborantes, fidei in baptismo infusum habitum retineant...; quare tales homines salvari nihil prohibet ».

^{c)} Sanchez, Decal., lib. 2, cap. 1, n. 8, asserit eos haereticos ratione ignorantiae excusari: in cujus confirmationem adducit Va-

Haeretici quando teneantur credere.

« 3°. Si talibus oriatur dubium de sua « secta, tenentur ulterius inquirere, et a « Deo petere lumen: quod si negligant, « peccant contra fidem, cum non adhi- « beant media ad implendum praeceptum « fidei. Quod si deinde nostra fides eis « sufficienter proponatur, tenentur ample- « cti. Sanchez ¹. — Vide Ferdinandum de « Castropalao ² ».

10. - Notanda est hic propositio ^{4a} dam-
nata ab Innocentio XI: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabilis*. — Ex hac aliqui non recte inferunt, prohiberi in omni materia sequi probabilem, relicta probabiliori. Nam respondet Viva ³ et alii communiter quod, etsi liceat sequi opinionem minus probabilem, nunquam tamen licet cum periculo gravis damni, quando illud vitare non pendeat ab opinionis probabilitate: ut est in collatione sacramentorum, in medendo, etc.; et hoc esset pariter in sequendo sectam minus probabiliter veram. A probabilitate enim opinionis fit quidem, ut peccatum formale vitetur in aliis humanis actionibus; sed non potest fieri, ut sit vera secta non vera. Et semper ac secta sit falsa, nunquam cum quacumque probabilitate vitatur periculum damnationis: cum non vitetur periculum carendi fide necessaria ad salutem, gratia sacramentorum, etc. — Adde quod infidelis nunquam habere potest veram probabilitatem suae sectae sine culpa. Si enim oraret, Deus absque dubio infunderet lumen suum in illum de vera religione. Ita Viva ⁴.

11. - « Resp. II°. Praeceptum *exterius* « *fidem confitendi* jure naturali obligat « duplici casu: scilicet, cum vel honor « Deo debitus, vel utilitas proximo impen- « denda, privative vel contrarie subtrahe- « tur. — Dixi 1° *privative*; ut si ideo ces- « saret magnus honor in Deum vel utilitas

« in proximum redundans. Dixi 2° *contra-
rie*; ut si alioqui Deus afficeretur inju-
« ria, vel proximus gravi malo; v. gr. si
« inde penderet aliorum conversio aut
« perversio, contemptus religionis, scan-
« dalum, etc. Ratio responsionis est, quia
« actus virtutis tunc videtur praeceptus,
« quando est necessarius ad finem prae-
« cepti, quod hic contingit; quia finis
« praecepti est caritas. — S. Thomas ⁵,
« Suarez, Reginaldus, Filliuccius ⁶. — Unde
« resolvitur hic casus:

« Si haeretici conculcent imagines,
« aliisve injuriis fidem afficiant, tenetur
« eam sua confessione tueri catholicus,
« si quidem inde prudenter speret pro-
« fectum.

« Resp. III°. *Ad professionem fidei ex-
« ternam* jure ecclesiastico tenentur sub
« mortali, secundum Tridentinum, cum
« juramento obediendi Ecclesiae Roma-
« nae, ut docet Filliuccius ⁷, sequentes
« personae:

« 1°. Provisi de beneficio curato; idque
« intra duos menses a die possessionis,
« coram episcopo aut ejus vicario gene-
« rali vel Officiali. — Tridentinum ⁸.

« 2°. Provisi de canonicatu vel digni-
« tate in cathedrali ecclesia; idque non
« tantum coram episcopo vel ejus vica-
« rio, sed etiam in capitulo ⁹; addita poena
« (ad quam non videntur teneri ante sen-
« tentiam), ut alioqui fructus non faciant
« suos. — Vide Sanchez ¹⁰, Barbosa ¹¹.

« 3°. Primates, archiepiscopi, episcopi;
« idque in prima synodo provinciali, cui
« intererunt. — Tridentinum ¹².

« 4°. Extendit Pius IV hanc legem ad
« omnes praelatos religionum, etiam mi-
« litariura; idemque in Motu proprio *In
« sacrosancta* ¹³, ad omnes promovendos
« in doctores, magistros, regentes, pro-
« fessores, addita excommunicatione latae
« sententiae, et privatione omnium bene-

Professio
fidei requi-
sita jure ec-
clesiastico.

¹ Decal., lib. 2, cap. 1, n. 6. — ² Tr. 4, disp. 1, punct. 12, n. 9. — ³ In propos. 4 Innoc. XI, n. 5. — ⁴ Loc. cit., n. 6. — ⁵ 2^a 2^a, qu. 8, art. 2. — ⁶ *Suar.*, de Fide, disp. 14, sect. 2, n. 4 et seqq. — ⁷ *Regin.*, lib. 17, n. 20. — ⁸ Tr. 22, n. 61 et 62. — ⁹ Loc. cit., a n. 98. — ¹⁰ Sess. 24, de Reform., cap. 12. —

¹¹ Loc. cit. — ¹² Decal., lib. 2, cap. 5, n. 1. — ¹³ De Off. et Potest. episc., alleg. 61, n. 28. — ¹⁴ Sess. 25, de Reform., cap. 2. — *Pius IV*, Bulla *Injunctum nobis*, 13 Nov. 1564, in Bullar. Mainardi. — ¹⁵ Constit. *In Sacrosancta*, eod. die et anno; in Bullar. Mainardi.

lentiae sententiam, qui dicit peccare eum, qui ex dubitatione disputat de rebus fidei; hoc tamen procedere nisi nondum fides illi

sufficienter proposita sit; et tunc licitum esse illi dubitare, ac dubitando inquirere veritatem.

« ficiorum, in eum qui alios promovet ad
« talem gradum, sine praevia professione ^a.
« Vide Filliuccium ¹, Barbosa ². — Verum
« ubi hoc decretum non est receptum usu,
« non obligare monet Sanchez ³.

« Unde resolvitur:

« 1°. Non tenentur ad dictam profes-
« sionem provisi de canonicatibus in ec-
« clesiis tantum collegiatis, vel de bene-
« ficiis tantum simplicibus.

« 2°. Etsi probabile sit, hanc professio-
« nem posse fieri per procuratorem, ut
« docet Azor, Navarrus et Sanchez; pro-
« babilis tamen est, teneri personaliter,
« ut docet Filliuccius. — Ratio est, tum
« quia alias non videtur fieri satis ju-
« ramento, quod personaliter faciendum
« esse docet Glossa apud Filliuccium; tum
« quia ita decidit Rota apud Garcia ⁴ ».

Probabi-
lius perso-
naliter fa-
cienda.

¹ Tr. 22, n. 95. — ² In Trid., sess. 24, de Reform., cap. 12, n. 17. — ³ Decal., lib. 2, cap. 5, n. 4. — ⁴ *Azor*, part. 2, lib. 7, cap. 2, quaer. 6. — *Navarr.*, Consil., lib. 2, consil. 11 de jure-

jurando, n. 2. — *Sanct.*, loc. cit., n. 7. — *Fill.*, tr. 22, n. 96. — *Glossa*, in cap. *Ut circa*, de election., in 6^o, v. *Corporalit.* — *Fill.*, loc. cit., n. 96. — ⁵ *De Benef.*, part. 3, cap. 3, n. 75 et 76.

II. - a) Poenae istae sancitae erant pro
inferioribus episcopo; sed ipse episcopus, per-
mittens aliquem eo modo promoveri, interdi-

cebatur ab ecclesiae ingressu. Atvero consti-
tutio *Apostolicae Sedis* eas poenas omisit;
ideoque non amplius vigent.